

COLLEGII THEOREMATUM  
THEOLOGICORUM,  
DISPUTATIO XVII.

De

Incarnatione & Du-

abus Naturis CHRISTI,

In Inclytâ ad Albim Universitatē  
proposita

PRÆSIDE,

JACOBO MARTINI,

S. S. Theol. Doct. & Profefs. Primario, Facult.  
Theol. Seniore, ac Templi arcis Præposito.

RESPONDENTE

ANDREA THOMÆO Aslojâ-Norvvego.

Habebitur ad diem 20. Januar.

↳ horis locog<sub>3</sub> solitis.

---


VVITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH I, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XXXIII.

Coll. diss. A  
198, 11

Diss. A. 198(11)





V I R O

*Gravitate & Prudentia conspicuo, nec non  
legum peritia præstantissimo,*

**Dn. NICOLAO LAURENTIO**  
Episcopatus Asloënsis in Norvvegia Præ-  
tori amplissimo, Patrono & Fautori pluri-  
mum observando.

U T E T

*Viris Gravissimis juxta ac Consultissimis*

**Dn. LAURENTIO RUSIO,**  
**Dn. NICOLAO TOLNERO**  
Apud Christianienses in Norvvegia Con-  
sulib. dignissimis, & de Repub. optime meritis,  
Mæcenatibus & Evergetis multis no-  
minibus suspiciendis.

NEC NON

**Reliquis SENATORIBUS Ornatissimis,**  
Prudentissimis atq; Reip. Studioissimis, Promo-  
toribus & amicis quo par est animi cultu  
& honore prosequendis.

*Hæc Theses gratitudinis indices*

*D. D. O.*

*R.*

**Andreas Thomæus,**  
**Asloja Norvvegus.**







COLLEGII THEOREMATUM

DISPUTATIO XVII.

DE INCARNATIONE  
ET DUABUS NATURIS  
CHRISTI.

Præsides JACOBO MARTINI S. S. Theol. D. & Prof. P.  
Resp. ANDREA THOMÆO Norvvego.

THESIS I.

**R**opter peccatum tum Originale, tum Actuale homo aeternâ damnatione plectendus, & sempiternis infernalibus cruciatibus torquendus fuisset; nisi CHRISTUS JESUS reconciliator Dei & hominum unicus, soluto sufficiente λύτρω, effuso nimirum pretioso suo sanguine, ipsum redemisset, & à reatu peccati & maledictione legis liberasset. Ut igitur PRIMUM nostrum Collegium Theologicum peccati consideratione finivimus; sic hoc SECUNDO doctrinam de Domino nostro Jesu Christo in vera pietate contemlabimur: Qui, uti suam præsentiam promissit in omniloco, in quo duo vel tres congregati sunt in nomine suo; sic quoq; in his nostris conventibus & colloquiis supremus præses adesse, suoq; Spiritu & gratia nos regere velit, ut ipsi grata, nobis verò salutaria dicamus, faciamus.

II. Consideranda itaque hoc loco i. Incarnatio Filii Dei: deinde incarnatione illa productum: nempe persona σωτήρ, Christus Immanuel noster.

III. Λόγος enim ut pœnam peccati in sese receptam exsolveret, genusq; humanum à morte & omnibus ærumnis liberaret, & ad vitam reduceret, capite serpentis contrito, impleto tempore incarnatus est, humanam naturam assumens.

A 2

IV. In-



IV. Incarnatio itaque est opus Dei quo λόγος novissimo mundi tempore in Judæa verus homo factus est.

V. *Dei opus* est: proindeq; causa hujus incarnationis efficiens Deus est: quia λόγος factus est homo, de consilio Trinitatis communi. Hæc mysterii hujus actionem ita inchoavit, ut ea in filio terminaretur, qui manens, quod erat; factus est, quod non erat.

VI. Hinc filius, à Patre missus, passim in sacris literis dicitur.

VII. Hanc sui missionem à Patre ipse Filius fieri voluit, ut sponte, non necessitate coactus, aut indigentia aliquâ ductus, in mundum venerit.

VIII. Spiritus S. etiam hanc missionem non modò voluit; sed singulariter etiam suo modo incarnationem juvit, virtute sua factum sanctificando, & ab omni labe peccati mundando, mundatumq; efformando, uti paulò post pluribus docebitur.

IX. Accuratè autem in summo hoc mysterio distinguendum esse monemus Principium, à Termino. Illud, cum scriptura Tribus Deitatis personis commune, affirmamus, posterius verò hoc, ita Filii proprium dicimus, ut neque ad Patrem, neque ad Spiritum S. pertineat.

X. *Ἀρρήτων* planè hæc mysterium est. Essentia divina, communis Patri & Filio & Spitu S. quæque propter summam simplicitatem in partes nequaquam potest dividi, ita enim humana natura in hac incarnatione unita; ne tamen unio illa attingeret Deitatem sub hypostasi Patris, vel Filii; sed assumeretur illa secundum unum subsistendi modum, qui constituit unam, nempe secundam Trinitatis personam, & non assumeretur secundum reliquos, qui reliquas personas constituunt.

XI. Explicare se hoc mysterium posse, & ad rationis trutinam appendere, nonnulli autumant, ut ratio, rem colligendo in se quiescat, si nimirum perpendant, quod aliter sit in Patre divina natura, nempe ἀγνήτως, aliter in Filio, in quo est γνήτως, aliter in Spiritu S. ἐκπερτύως scilicet: simulq; quod modi illi subsistendi non tantum ratione sed re differant.

XII. Verum an ex distinctione illa, & hac ratione mens ita infor-

infor-



informari queat, ut rem perfectè intelligat, valdè dubito. Distinctionem enim quod attinet, non videtur illa accuratè formata. Nam ἀγέννητον esse, itemq; ἕκτον, & ἐκπόρευτον est personæ non naturæ: quæ sub illis modis neque genita, neque ingenta, neque Procedens dicitur, sed vel incommunicata, vel communicata. Sic Patri à nullo dicitur communicata divina natura, quia est ἀγέννητος & principium divinitatis. Filio verò dicitur communicata per generationem, quia genitus est à Patre: & Spiritui S. per processionem: quia procedit à Patre & Filio. Loquor autem de accurato loquendi modo; non rhetorico, quo interdum verba commutantur. Ille autem in accuratis explicationibus & disputationibus usurpandus, ne sub κατάχρησι terminorum, vel respectus diversi, vel res ipsæ confundantur, & error tacitè subnascatur.

XIII. Deinde quomodo ratio quoque aliquid concludat, non video. Nam licet personales illi modi sint realiter distincti, tamen quod sub illis modis dicitur unitum, & non unitum, id nequaquam est realiter à se distinctum, sed est ταύτο sub omnibus tribus personis. Quomodo ergò unio naturarum in una persona facta, non pertingat ad cæteras, propter divinæ naturæ indivisibilitatem & impartibilitatem, non videtur, videre ratio.

XIV. Nam licet incarnatio terminetur ad personam, ut mox docebimus: tamen unio naturarum terminatur ad naturas ipsas. Videt quidem aliquid Ratio, quod nimirum unio illa tantum facta sit per incarnationem hujus personæ, & non cæterarum: satis tamen se expedire nequit, sed summam suam cæcitatem agnoscens fateri & exclamare cum Apostolo Paulo cogitur: *Magnum est pietatis mysterium, quod Deus revelatus est in carne* 1. Tim. 3. v. 16.

XV. Forma, subjectum & materiam ex qua includens, ut & circumstantiam temporis, in quo incarnatio illa facta, cæteris descriptionis verbis exprimitur: nempe i. quod factus est homo in Judæa, cum Maria vi Spiritus sancti, immediatè operantis, gravida fieret: Maria, inquam, virgo & Sponsa intemerata.

XVI. Unde conceptio hæc sine virili semine facta, & sic miraculum stupendum intelligitur.



XVII. Hinc etiam semen mulieris arguitur, cui virile non sit admixtum. Sic enim primùm in genere facta est promissio, Gen. 3. v. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Specialius deinde restricta fuit ad semen Abrahæ: postea ad semen Davidis; tandem ubi venit *τὸ πλήρωμα τῶν χειρῶν*, ad determinatum Individuum, carnem scilicet virginis *τῆς κεχαρισμένης*: ut ita prima promissio & ultima impletio accurate convenirent; & sine virili semine Messias conciperetur & nasceretur.

XVIII. Deinde quod novissimo mundi tempore incarnatio hæc facta est, imperante Cæsare Augusto, sub quarta Monarchia, regnante in Judæa Herode alienigena, atq; sic sublato sceptro à Juda secundum Jacobi Patriarchæ, aliorumq; vatum, & Evangelistarum enarrationem.

XIX. Dicitur autem *λόγος* factus homo, qui etiam apud Deum in principio, ideoque ab æterno fuisse & Deus Johan. 1. expressè dicitur & demonstratur.

XX. *Λόγος* autem nomen personæ est.

XXI. Persona itaque propriè incarnata dicitur, & mediante persona natura humana cum divina unita creditur.

XXII. Cæterum formæ consideratio nos commonefacit, incarnationis *τῶν λόγων* duas esse partes: conceptionem in utero B. virginis, & nativitatem sive egressum ex utero.

XXIII. Conceptio facta est obumbratione Spiritus sancti, unde Luc. 1. v. 18. dicitur; *quod uterum tulit è Spiritu S. item. v. 20. quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est.*

XXIII. Nemo verò sibi ex hisce locis cum Fausto Socinatis contra Wiekum imagnetur, Mariam ita de Spiritu sancto concepisse, sicut fœmina de suo marito: proindeq; Spiritum S. habere se ut Patrem Christi ratione naturæ humanæ. Id enim manifestè pugnat contra sacram Scripturam, expressè docentem quod juxta naturam humanam Christus sit simpliciter *ἀπ' αὐτῶν* Heb. 7.

XXV. Concepit igitur ex illo B. virgo, quatenus Spiritus S. divina sua virtute purificavit massam illam, quæ assumenda erat in unitatem personæ Filii Dei: simulq; ut causa efficiens, id in Maria virgine operatus est, ut virgo existens, permanensq; in conceptione & post conceptionem in partu & post partum atq; sic



sic præter rerum seriem fœcunda evaderet, habilisq; ad concipiendum sine virili semine pariendumq; filium, quod aliàs nulla creata virtute perfici potuisset.

XXVI. Diverſæ igitur distinctiſſimæq; actiones hæ, non sunt confundendæ: potestate sua aliquid ex materia aliunde sumta formare: & ex substantia sua gignere. Illud præstitit in conceptione Spiritus Sanctus; ideoque se ut causa efficiens habet; Hoc nequaquam fecit; & propterea Pater nequaquam dicendus.

XXVII. Conceptionem illam in momento factam esse statuimus, ita quidem, ut in & ex utero B. virginis, virtute Spiritus sancti, efficaciter & omnipotenter operante, tota humana essentia, constans anima & corpore, atque sic secundum utramque partem essentialem fuerit concepta.

XXIX. Λόγος enim, nullius unquam rei fuit ὑπόστασις quàm naturæ humanæ. At corpus sine anima rationali (quod prius ita nudum & inanimatum assumptum nonnulli volunt, inter quos est Daniel Tilenis) non est humana natura: quippe cujus potior pars, à qua & esse suum, & proprias affectiones operationesq; & denominationem habet, est anima rationalis.

XXIX. Et sanè, nisi corpus illud in ipso assumptionis momento animatum statuatur, sequeretur hoc absurdum in prima conceptione non Christo constituisse suam perfectam personalitatem. Defuisset enim personæ aliquid συστατικόν: neque τῷ λόγῳ tota tribui posset conceptio, cum illud non nisi assumptionis ratione ipsi competat. Nam propterea ipsemet Filius Dei dicitur conceptus, quia corpus illud, non nisi in persona τῷ λόγῳ conceptum fuit.

XXX. Simul igitur & animam & corpus & sic integram essentialem humanam naturam in suam personam suscepit: concedentes interim partes corporis integrantes & organicas successu temporis efformatas esse. Unio enim hypostatica in persona Christi ita facta est super naturam, ut quod est naturæ, secundum naturam persona Christi assumerit in unitatem sui.

XXXI. Si enim primum conceptionis momentum excipias, cœtera omnia in illa non nisi interposita mora & more consueto contigerunt. Sanguis n. virtute altissimi ad conceptionis locum

non



non sine motu & tempore est deductus, ibique eadem virtute purificatus, & in animatum semen transmutatum, idque eo ipso momento statim conceptum in λόγῳ, & postea successione in eo efformatum, & ad plenam foetus perfectionem perductum. Ideo enim foetus novem mensibus in utero gestatus est, ut membra perfectè efformarentur, singulisq; conveniens paulatim incrementum accederet: & tandem, non quoque nisi stato & naturâ definito tempore, Dominus noster Jesus Christus, Immanuel sive θεάνθρωπος à B. virgine in lucem ederetur.

XXXII. Ut etiam revera nativitas illa (quam secundam partem incarnationis diximus) ita est subsequuta & peracta: quae ipsam personam propriè; non humanam ejus naturam, natam esse dicimus, nempe: Filius Dei est natus ex Maria virgine.

XXXIII. Hæc κυελογία est in scripturis manifestissima. Luc. 1. v. 31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum;* & v. 32. *Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur.* & v. 35. *Id quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Rom. 9. v. 5. *Et u. ex quibus est Christus quoad carnem, qui est super omnes, Deus habendus in secula.* Gal. 4. v. 4. *In plenitudine temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere,* 1. Tim. 3. v. 16. *Deus revelatus est in carne.*

XXXIV. Et sanè, ut se habet generatio activa ad suum principium: sic quoque se habet generatio passiva ad suum terminum: sed quod generat activè est hypostasis sive persona: cum actiones sint suppositorum: natura autem id, qua, sive per quam persona generat: Ergò quoque quod generatur passivè est, hypostasis sive persona: natura autem id, quo generatio terminatur.

XXXV. Hæc κυελογία propterea observanda est; ut responderi queat ad quaestionem: An, ut duplex generatio in Christo, sic quoque duplex filiationis: cum generatio sit filiationis, tanquam relationis, in illâ, nitentis fundamentum: & pro variatione fundamentorum etiam ipsæ relationes variant & multiplicentur.

XXXVI. Ubi distinguendum esse putamus inter relationem // hanc, quam filiationem dicimus, quatenus consideratur ut nuda // relatio, sive ut relatio tantum: & inter filiationem, quatenus est // proprietas personæ.



**XXXVII.** Illo modo dicere possumus, quod duplex sit  
filiatio in Christo: altera, quæ fundatur in generatione tempora-  
li. Hoc verò respectu nna tantum dici potest filiatio; cum unius  
personæ non nisi unum sit formale *συσπικρόν*: Quia igitur Chri-  
stus una tantum est persona, licet bis genita, sequitur, quod non  
nisi una in eo sit proprietas personalis, tanquam *συσπικρή* perso-  
næ, quæ est Filiatio.

**XXXVIII.** Atque hoc peculiare est in hac Christi persona: in  
*ψυλοῖς ἀνθρώποις*, Filiationis fundamentum tantum in genera-  
tione ponimus & consideramus, quia ibi persona tantum semel  
& unica generatione producitur: In hoc verò *θεανθρώπῳ* eadem  
persona bis genita est. Quandoquidem quæ persona genita est à  
Patre ab æterno, illa ipsa in plenitudine temporis nata ex Maria  
virgine.

**XXXIX.** Quia autem generatio est ex essentia & natura ge-  
nerantis productio geniti: Et verò Christus ut ab æterno est geni-  
tus, est ex substantia Patris, eandemque essentiam seu naturam  
divinam cum Patre habet: Contra verò ut in tempore natus est  
ex substantia matris, eandem specie essentiam sive naturam, nem-  
pe humanam, cum matre habet: sequitur quod illo modo, & sic  
tantum respectu Deitatis & divinæ generationis dicatur Filius Dei  
naturalis, hoc verò modo, & sic respectu humanitatis & humanæ  
generationis dicatur Filius tantum Mariæ naturalis: Filius verò  
Dei per unionis gratiam: quod Filius Mariæ & Filius Dei una  
persona est.

**X L.** Ratio ex hypothese præcedente est manifesta. Nam  
Christum secundum humanam naturam dicere Dei Filium, sim-  
pliciter subintelligit Filiationem, prout est proprietas personæ,  
cum Filius Dei sit nomen personæ: Dicere verò Christum secun-  
dum humanam naturam esse Filium Dei, cum additione, natura-  
lem, subintelligit filiationem, ut est relatio tantum, & pro ter-  
minis naturas habet gignentis & geniti, à quibus naturalis dici-  
tur: propterea quod dicat convenientiam & unitatem naturæ u-  
triusque & sic naturalem.

**XLI.** Quare etiam abstinendum puto ab ejusmodi phrasibus;  
B Christus



Christus, ut homo vel secundum humanam naturam, est verus Deus. Nam Christus dicitur verus Deus per veram naturam & essentiam divinam. Quare quando illi tribuitur in prædicato Deitas, in concreto, & denominativè per vocem Deus, non potest sine contradictione subjectum Christus ad naturam oppositam humanam, terminis restrictivis limitari. Nam ita vox concreta & personalis in subjecto fit abstractum naturæ, in se finitæ, licet in persona τῷ λόγῳ subsistat. Ut ergò dicere non possum, Humanitas est Deitas; sic dicere nequeo, humanitas vel homo secundum humanitatem est Deus. Nam vox Deus in illa prædicatione non amplius personaliter sed essentialiter accipitur.

XLII. Nec difficultatem tollunt, qui dicunt, particulam, ut homo, atq; secundum & juxta humanitatem, hinc non designare proprietatem humanæ naturæ, sed duntaxat determinare & indigitare naturam, quæ in κοινωνίαν divinæ hujus celsitudinis devenit.

XLIII. Nam hoc ipsum est, quod volumus, & quod negamus naturam per summam exaltationem & determinatam in persona τῷ λόγῳ factam esse, sive esse, Deum: Manet enim in illa ipsa unionem & exaltationem & communicationem & determinationem humanam naturam & non fit vel est Deus, sed Dei. Propria enim natura illa Dei sive Filii Dei facta est, sed non Deus.

XLIV. Cæterùm cum natura humana non prius fuerit Nativitatis subjectum, quàm Filius ille hominis fuit Filius Dei, humanitasq; in personæ τῷ λόγῳ unitatem fuit assumpta, verè B. virgo dicitur θεοτόκος.

XLV. Quam denominationem Synodus Ephesina ex firma Scripturæ consequentia & fidei analogia eruit. Quia enim utrumque asserit Scriptura. 1. Quod Maria sit mater Christi Matth. 1. v. 23. & deinde quod Christus sit Deus, Rom. 9. v. 5. &c. inde firmissimè colligitur, Deum peperisse, quæ Christum peperit, nisi vel Deitas Christo adimatur, vel duarum in ipso naturarum hypostatica unio solvatur.

XLVI. Locus, in quo natus est Christus, licet puerperæ fortuitò oblatus videatur: ut tamen à Propheta Micha, cap. 5. v. 2. prædictus; ita quoq; revera divino consilio & providentia constitutus.



stitutus fuit, ut hinc etiam pii admoneantur, promissionem Davidi Bethlehemitæ, factam, impletam esse, Luc 2. v. 4.

XLVII. Ut autem locus sic tempus quoq; cum prophetiis congruens electum fuit, Galat. 4 v. 4. nempe cum jam sublato de Juda sceptro, Genes 49. v 10. & Idumæo rerum potente, conclamata propemodum gentis Israeliticæ salus præsentio rem de cælo opem desiderare videbatur.

XLVIII. Damnamus & rejicimus 1. Judæorum furores, qui Messiam ex virgine natum aspernantur, & contra eum ex Rege vel Propheta nasciturum expectant. 2. Ebeonitas, Cerinthianos, Theodotianos, qui Messiam ex Josephi & Mariæ concubitu natum mentiuntur. 3. Tacianos & Manichæos, qui eum ex semine Davidis esse inficiantur. 4. Valentinianos & Secundianos, qui corpus Christi ex Maria assumptum negârunt. 5. Marcionitas & Apellitas, qui sydereum corpus Christo tribuerunt. 6. Nestorianos, qui Mariam Θεοτόκον negabant, &c.

XLIX. Hactenus de Incarnatione Filii Dei egimus: sequitur, ut consideremus, quid Incarnatione illâ productum sive factum sit, nempe persona *σὺν ἡμῶν*, Immanuel & nobiscum DEUS, qui est Christus, Dei & Mariæ filius, Mediator Dei & hominum unicus. In hujus ergo considerationem venit partim personæ ratio, partim officium. Personæ ratio & conditio est in constituentibus eam, & circumstantibus. Constituentia personam sunt naturæ & modus. De duabus ergò in Christo naturis hac disputatione agemus.

L. Naturæ in persona Christi sunt duæ: Divina & humana.

LI. Divina natura est, quam cum Patre & Spiritu sancto eandem habet: etiamsi tum secundum *ὑπόστασιν*, tum secundum officii, sponte in se suscepti, *οἰκονομίαν* ab utroque distinguatur.

LII. Humana natura est, quam nobiscum habet communem, constantem anima rationali & corpore organico, quam integram & totam ex substantiâ Mariæ virginis in personæ unitatem assumpsit Filius Dei. Distinguitur ergò à nostrâ, tum subsistendi modo, tum vitiosis substantiæ nostræ accidentibus, sive peccatis.



LIII. Illo: Non enim subsistit propriâ, sed τὸ λόγῳ assumen-  
tis, ὑπόστασις: Qui non personam sed naturam assumpsit, ut duæ  
quidem naturæ, sed una tantum persona subsisteret Christus.  
Quod verò naturæ humanæ non imperfectionem, sed maximam  
perfectionem arguit: quippe quæ tota & integra super naturalem  
subsistendi modum debilem & fragilem, in perfectissimam abso-  
lutissimamq; æterni & infiniti λόγῳ ὑπόστασιν, & sic longissimè su-  
per humanæ ὑπόστασεως statum & conditionem elevata & exal-  
tata est, proindeque perfectionem omnem humanam, & quam-  
cunque aliam excedentem acquisivit. His: Nam sine peccatis ex  
pura virgine eam assumpsit λόγῳ.

LIV. Ab hisce naturis denominatur Christus, à divinâ De-  
us, ab humanâ Homo. Quem enim paritura erat Maria, eun-  
dem filium Dei vocat angelus, Luc. 1. v. 35. Et quem ex patribus  
secundum carnem vocat Apostolus; eundem Deum supra omnia  
in secula laudandum indigitat, Rom. 9. v. 5.

LV. Christum esse verum Deum, demonstratur subsequen-  
tibus argumentis. Primum ab appellatione Dei propriâ sumitur.  
Manifesta sanè est nuncupatio veri Dei loco jam allegato Rom.  
9. v. 5. Sed Jehovæ appellatio etiam sola hac autoritate pollet, ut  
cui tribuatur, eum verum Deum esse conveniat. Num. 14. v. 57.  
Israelitæ dicuntur tentasse Jehovam. Hoc Paulus 1. Cor. 10. v. 9.  
de Christo interpretatur, Zach. 2. v. 10. Filius Dei suum adven-  
tum per os Prophetæ prædicens: *Lauda, inquit, & laetare filia Si-  
on: quia ecce veniam & habitabo in medio tui, ait Jehova: & congre-  
gabuntur gentes multe ad Jehovam &c.* Zach. 9. v. 9. & Christo  
accommodatur Matth. 21. v. 5.

LV I. Secundum ab unione communis essentiæ Dei. Patrem  
esse verum Deum à nullo hæreticorum in dubium vocatur. Quod  
si igitur cum Patre Filius unus Deus est, erit verus Deus essentiâ.  
Probatur hoc ex 1. Joh. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cæ-  
lo: Pater, Verbum & Spiritus S., & hi tres unum sunt.* Quod de  
unitate essentiæ, non consensus vel voluntatis (ut perperam in-  
interpretantur hæretici) est intelligendum: quod expressè arguit  
phrasis Græca, qua dicitur: καὶ ἅπτοι οἱ τρεῖς ἐν εἰσι. Et eo di-  
stinguun-



tinguuntur à tribus subsequenti-  
bus testibus, in terris; de quibus  
non dicitur, quod Unum sint: sed καὶ ἄποιοί τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσι: &  
ibi tres in unum sunt; hoc est, in unum consentiunt, conveniunt  
&c.

LVII. Eodem modo Christus se & Patrem dicit esse unum.  
Joh. 10. v. 30. Quod autem verbis illis Christus divinitatem suam  
asserat & adstruat, tam est manifestum, ut Judæi etiam, quamvis  
aliàs stupidi, hoc intelligant. Quippe qui ipsum propterea perse-  
quuntur, quod verbis illis divinitatem sibi vendicare ausit. Et  
Christus etiam non negat, se hoc ipsum intellexisse: sed potius  
approbat, cum statim subjungit: Vos dicitis me blasphemare, quia  
dixi, filius Dei sum: non quidem adoptione sive gratiâ: sed æter-  
na generatione; Unde discriminis causâ unigenitus à patre appel-  
latur Joh. 1. v. 18. & 3. v. 16. & imago Dei invisibilis, primogeni-  
tus universæ creaturæ, quoniam in ipso creata sint omnia, Col. 1.  
v. 15. & 16. character quoque personæ Patris, Heb. 1. v. 3.

LVIII. Porro Johan. 14. v. 10. 11. dicit Christus: *Ego sum  
in Patre, & Pater in me est.* Ex hoc loco & pluralitatem persona-  
rum & unitatem essentiæ divinæ Patris & Filii contra hæreticos  
evicerunt sancti Patres, hæc verba contra Arii impietatem fre-  
quentissimè usurpantes. Nam cum Patris & Filii hic fit mentio,  
duarum utiq; distinctarum personarum differentia notatur:  
Pater enim non est Filius, sicut Filius non est Pater: sed tamen  
non duo, sed unus sunt Deus, juxta allegatum jam dictum Joh. 10.  
vers. 30. *Ego & Pater unum sumus*, nempe ineffabiliter unum: ut  
Pater & Filius distincti quidem, sint tamen Pater in Filio & Filius  
in Patre, adeoq; in sinu Patris, & sic unâ cum Patre verus & essen-  
tiâ Deus.

LIX. Tertium argumentum sumitur ab attributis essentiæ divinæ.  
Christus dicitur Deus fortis & Pater æternitatis Esa. 9. v. 6. Rex  
seculorum 1. Tim. 1. 17. Primus & novissimus α & ω Esa. 44. v. 6.  
Apoc. Joh. 1. v. 18. Quæ sanè omnia solius divinitatis sunt argu-  
menta & certissima indicia. Est præterea essentialiter omnipotens,  
ut Patet ex Joh. 10. v. 24. *Ego do vitam æternam omnibus meis, nec peri-  
bunt in æternum, neq; rapiet eos quisq; de manu meâ &c.* Quæ sanè o-  
mnipotentiam manifestò arguunt & demonstrant.



L X. Et Joh. 5. v. 26. dicit Christus *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam in semetipso.* Quam sententiam Dn.: Lutherus in ultimis verbis Davidis interpretatur de æternâ datione per generationem æternam. Neque aliter intelligi vel potest vel debet; cum hoc ipso argumento divinitatem suam demonstrare velit Christus. Habet ergo Christus eadem ratione vitam, quâ Pater, à Patre tamen acceptam, in se ipso. Verum nisi essentiam prius haberet, vitam in se ipso, ut pater eam habet, habere non posset. Quæ enim divinitatis sunt, ea nulli rei alii, quæ Deus non est, communicantur ita, ut sic in eâ sint, quemadmodum in divinâ essentiâ sive Patre sunt. Qui igitur vitam in se habet ut Pater; is essentiam quoque Patris in se habeat, ut Pater eam habet, necesse est.

L X I. Rursus Joh. 14. v. 15. dicit Christus. *Omnia, quæcunq; Pater habet, mea sunt.* Quibus verbis de miranda illa κοινωνία Patris & Filii in Trinitate asserit: gratiâ cujus Pater omnia, quæ est & habet, Filio per ineffabilem illam generationem communicat: unde etiam communis est utriusq; Spiritus, ab utroq; in Divinitate procedens, cui similiter à Patre & Filio communicantur omnia.

L X II. Quartum argumentum est ab operibus Dei propriis. Opus creationis est proprium æterni Patris & veri Dei. Quandoquidem Esa. 40. v. 28. dicitur: *Annon audivistis, quod Deus æternus creavit terminos terræ?* Et Jer. 10. v. 11 *Dii, qui cælum & terram non creârunt, pereant de terrâ:* Verum Pater dicendo creavit Gen. 1. Et verbo Dei cœli facti sunt Psal. 33. v. 6. Et per λόγος omnia facta sunt, Joh. 1. v. 3. Col. 1. v. 16. Heb. 1. 3. Qui etiam Esa. 43. v. 10. dicit: *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit Ego sum Jehova, & non est absq; me Salvator.* Item v. 25. *Ego, ego sum, qui deleo pravaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Et c. 44. v. 6. *Sic dixit Jehova Rex Israelis & redemptor ejus Jehova exercituum: Ego primus & ego novissimus, & præter me non est DEUS.* Et v. 22. *Delevi ut nubem pravaricationes tuas, & veluti nubeculam peccata tua.* Hunc Christus se esse probat ipso opere Marc. 2. v. 5. 10. 28. Luc. 5. v. 6. & seqq. 12. 15. 17. 18. & seqq. v. 31. 32. Et Joh. 5. v. 21. *ut Pater mortuos resuscitat, ita Filius vivificat, quos vult.* c. 20. v. 30.



v. 30. 31. Multa etiam alia signa edidit Jesus coram discipulis suis, qua non scripta sunt in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est Christus ille Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.

LXIII. Quintum argumentum ab honore & cultu, soli Deo conveniente. De Filio Dei primogenito dicitur P sal. 97. v. 7. teste epist. ad Heb. 1. v. 7. *Adorent eum omnes Angeli: Et quod Esa. 45. Is qui se solum nec præter se aliam esse Deum profitetur, v. 5 6. 14. 21. v. 22. quod ait v. 23. mihi curvabitur omne genu, & per me jurabit omnis lingua: id Rom. 14. v. 11. & Phil. 2. v. 10. ad Christum accommodatur. Ergo Christo ejusmodi honor tribuitur: qui soli Deo competit. Hinc Joh. 5. v. 23. Ut Patrem honorant omnes: sic quoque Filium honorare debent, adeò ut qui Filium non honorat, Patrem honorare negetur, Non igitur minor est honor Filii Dei, quàm Patris, sed æqualis utrique tribuendus. Id quod etiam Basiliius epistola 78. ex Baptismi formâ extruxit: *Baptisari nos oportet, inquit, sicut accepimus, credere autem sicut baptisati sumus, glorificare autem sicut credimus, Patrem, filium & Spiritum Sanctum.**

LXIV. Atque sic Divinam Mediatoris Christi naturam demonstravimus, quâ Patri & Spiritui Sancto consubstantialis est. Humana nunc demonstranda venit, qua nobiscum specie unus est, verèq; incarnatus dicitur.

LXV. Humana natura corpore constat elementari, & anima spirituali sive rationali. Hæc itaque si in Mariæ virginis Filio ostendi poterunt, humana ejus natura, secundum speciem nostræ naturæ similis, nequaquam negabitur.

LXVI. In Paradiso Gen. 3. v. 15. cum primum promitteretur Mundi Messias, vera ejus humana natura arguitur duobus argumentis: 1. Quod sit semen mulieris futurus. 2. Quod sit passurus.

LXVII. Primum illud argumentum Gen. 22. v. 18. sic repetitur, ut accipiatur semen, quod ex lumbis Abrahami provenit, idq; sit ipse Christus, Mariæ filius, non alius, ut est ad Gal. 3. vers. 16. *In semine tuo, non in seminibus, ut in multis, sed in uno semine, quod est Christus.*

Idem



Idem Isaaco promittitur Gen. 26. v. 4. & Gen. 25. v. 14. Jacobo Patriarchæ, 2. Sam. 7. v. 12. semen Davidis appellatur: quod sit è ventre Davidis egressurum, cui Dominus regnum sit firmaturus æternum: quod de Christo dictum testatur epistola ad Hebr. 1. v. 5. Hoc idem semen i. Paral. 17. v. 11. è filiis Davidis futurum scribitur, ut veritas naturæ, ex Davidica stirpe prodeuntis, verè demonstretur.

LXVIII. Licet enim horum omnium gesserit typum quodammodò Salomon, tamen regni hujus perpetuitas & regis ipsius æternitas præter epistolæ ad Hebræos testimonium, arguit propriè de Christo, qui filius Davidis Matth. 1. v. 3. hæc intelligenda esse. Hinc Jeremias cap 25. v. 5. ait: *Ecce dies veniunt, dicit Jehova, & suscitabo Davidi germen justum, & regnabit rex, & agens prosperè, & faciet judicium ac justitiam in terrâ, & nomen ejus erit, quod vocabitur Jehova justitia nostra.* v. 6. Et c. 33. v. 14. & seqq. hoc idem germen futurum adhuc & suscitatum iri testatur, quod ab omnibus mundi partibus sit Israelitas, in quibus dolus non sit Joh. 1. v. 48. quique Mariæ filium sint professuri Dei filium & regem illum Israel, Davidi promissum, conducturum.

LXIX. Unde liquet, promissionem Davidi factam, in Salomone, qui jam fuerat, templum illud ædificaverat conflagraturum, non in æternum duraturum regnum constituerat, nec Israelitas ex omnibus mundi partibus contraxerat, neque fecerat, ut sui in æternū confidenter habitarent, impletam non esse, sed adhuc in futuro tempore, post Salomonis obitum implendam.

LXX. Esa. 11. v. 1. *Egredietur virga de semine Isai, & surculus de radicibus ejus crescet.*: Quod de Christo promissum esse ex Actor. 15. v. 23. apparet.

LXXI. Tandem scribitur factus ex muliere Gal. 4. v. 4. idq; per generationem; unde natus ex virgine Luc. 1. v. 35. dicitur: & illud quidem secundum carnem ex Davide Rom. 1. v. 3. & Judæis Rom. 9. v. 5. Unde caro verè factus ex muliere & λόγος incarnatus, ex eâ natus firmissimè concluditur.

LXXII. Hinc ad Hebr. 2. v. 14. particeps carnis legitur factus, quemadmodum pueri participant carni & sanguini. Et v. 16. non  
Ange-



Angelos, sed semen Abrahæ adsumisse, ut per omnia nobis fratribus suis, sit assimilatus, peccato tantum excepto, Heb. 4. v. 15.

LXXIII. Atque sic primum illud argumentum per S. literarum campos diffusum, explicatum est: secundum illud de passione cæterisque naturæ humanæ proprietatibus latissimum est: nos tantum breviter illud tangemus. Lucæ 24. v. 39. testatur Christus de seipso, quod carnem habeat & ossa, ut naturæ veritatem ostendat, contra opinionem phantasmatis. Quod particeps sanguinis sit factus, patuit paulò antea, quodque in hoc corpore elementari omnia humana sit perpessus, & ipsam denique mortem senserit acerbissimam, ex totâ Evangelica historia manifestum. Matth. 26. inquit Mediator: *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Et Johan. 12. v. 27. *Nunc anima mea turbata est:* Ubi altera humanæ naturæ pars describitur: quam etiam in morte Patri commendavit, quamque expiravit in cruce moriens, ut historia passionis testatur.

LXXIV. Adserimus igitur cum catholica orthodoxâ confessione, Mediatoris nostri naturam alteram, ex Maria virgine assumptam, nostræ esse omninò quoad essentiam, essentialiaque consubstantialem, secundum corpus & animam rationalem, eademque definitione ejus explicari quidditatem, quâ naturâ finitur, ut sic non minus humanæ naturæ veritas in Mediatoris personâ, quàm divinæ retineatur.

LXXV. Mediator enim ut verus homo esset omninò fuit necessarium. Peccatis enim defædati non poteramus servari, nisi culpa nobis remitteretur? Injustitia siquidem Deo exosa. Fieri autem peccati remissio non potuit sine sanguinis effusione, ut Epist. ad Hebr. 9. v. 22. liquidò ostendit. Necessarium itaq; erat, ut natura Mediatoris, quæ redemptionem nobis acquirere debuit, sanguinem fundere posset.

LXXVII. Mediator quoq; foedus inter nos & Deum, per peccata à nostrâ parte ruptum restituere debuit, & est testamentum, quo nos comprehenderemur adoptati æternæ felicitatis hæredes condere. Atqui verò ratum est Testamentum nullum, nisi testatoris morte sit confirmatum, ut est ibid. v. 16. Natura igitur ejus talis debuit

C

debut



esse, in in quâ per mortem testamentum de hæreditate conditum, firmum ratumq; redderetur.

LXXVII. Postulabat etiam immota Dei justitia & constans Veritas, ut in illâ ipsâ naturâ, quæ peccaverat, peccatum puniretur, & ut in illâ ipsâ naturâ, in qua offensus erat Deus, placeretur. Deus enim Gen. 2. v. 17. homini mortem minatus erat peccatori, peccati poenam.

LXXVIII. Qui igitur non permittit, ut anima moriatur pro anima, salvâ suâ veritate, non poterat concedere, ut alia, quam humana natura, pro humanæ naturæ salute pateretur, proq; peccatis, ab homine perpetratis, satisfaceret. Hinc I. Cor. 15 v. 21. totam redemptionem fieri per hominem oportuisse Paulus asserit, quia sit per hominem mors introducta, inquit: *Postquam enim per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum.* Et Epistola ad Hebr. cap. 2. v. 14. manifestò testatur, ideò Christum fuisse participem factum carnis & sanguinis, ut per mortem eum abderet, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti.

LXXIX. Redemptionis quoque negotium requirebat, ut Mediator noster caput nostrum esset, & frater noster: quod fieri non poterat, nisi Redemptor veram hominis naturam haberet. Unde ad Hebr. 2. v. 11. dicit Apostolus, reddens rationem afflictionum, quibus consecratus est princeps noster: Nam qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno sunt omnes: quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare. Hinc etiam Paulus Eph. 5. v. 25. & seqq. Ecclesiam ad Christum sic refert, ut uxorem ad maritum etiam in eo, in quo caro una sunt duo, ut ostendat, capitis & membrorum talem hic requiri *ὁμοῦσιν*, quæ nos finiat carnem ex carne ejus, & os ex ossibus ejus. Si itaque natura nostra talis esset, quæ essentialiter non foret Redemptoris; caput nostrum, fraternitate finitum, qui homines sumus, non existeret.

LXXX. Poscebat etiam officii hujus ratio, ut Mediator malis nostris afficeretur, condoleretq; & sic succurreret: Atqui illud in aliena naturâ non poterat fieri: siquidem si humanam naturam  
veram



veram non habuisset, humanum aliquid expertus utique non esset. Id quod affirmat Epistola ad Hebr. 2. v. 17. cap. 18 v. 12. c. 4. v. 15.

LXXXI. Officium quoque Redemptoris postulabat, ut nobis sacra Dei consilia de redemptione aperiret, nosq; ut nuncius ablegatus doceret ipse & institueret. Atqui verò id fieri à Deo sine humanitatis interventu non poterat, quia ut est Exodi 33. v. 20. *Faciem Jehovæ nemo potest videre & vivere*. In carne itaque manifestatus est, qui manifestari sic non poterat in solâ divinitate.

LXXXII. Non igitur aliam naturam, quam humanam sibi unire Mediator Deus, & æterno scedere quàm arctissimè secum copulare, atque in societatem & dignitatem Divinitatis evehere debuit. Unde 2 Cor. 8. v. 9. Pauper factus Mediator scribitur, qui dives erat, ut nos ditesceremus.

LXXXIII. Damnamus 1. Ebionem, Cerinthum, Samosatenum, Photinum: quibus Christus est  $\psi\iota\lambda\omicron\varsigma\ \alpha\upsilon\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$ . 2. Marcionitas, Manichæos & Docetas cum Schwenckfeldianis, qui veram carnem Christo detrahunt. 3. Arianos, qui neque veram Deitatem, neque veram humanitatem ei relinquunt.

4. Apollinaristas, animam rationalem adimentes, &c.

F I N I S.





In laudes, virtute & insigni Ingenii  
acumine Ornatissimo Juveni

ANDREÆ THOMÆO

Asloja-Norvvego.

Amico & Συασιτω fraternè perpetim amando,  
dignas

Ingenii specimen qui gaudet cernere rarum,  
Doctrina cumulo & sincero dogmate clarum,  
Hunc sacrum fœtum quem Præsens edidit Auctor  
De miro Christi mortalis carnis amictu  
Aspiciat, relegat, laudes meritoq; merenti  
Ingenio eribuat, sic pergat prodere plura.  
Vidimus hocce tuum mentis specimen Φίλε πῖσι  
Aetatem superans mustam, famamq; sinistram,  
Ergò tibi dignas meritò laudes memoramus  
Gratantes Patriæ de te, calideq; precantes  
Ut vivas sanus doctrinâ de moribus auctus  
Quo pergas calidus nomen Christi celebrare  
Et dulcem doctis Patriam scriptis cumulare.

ἀκίβδηλως stylum solvebat

Johannes Petrejus Samo-  
gio Danus.

F I N I S.

Coll. dim. A 198, 11